

PRÆFATIO

Sed longior fortè qvām par erat in metallorum generatione excutienda fui, volui tamen hæc altius exponere, ut cum ii, qvi hac de re quid tradiderunt, mire dissentiant, veram hīc sententiam expedirem. Ne itaqve lectoris patientiam lacerem, aut ad naufragium illum provocem, de metallorum transmutatione, qvam & natura & arte, firmis rationibus persuasus, fieri posse statuo, paucis agam, ubi præmisero verba iam nominati acutissimi qvondam Philolophi, & in Academia Julia Professoris celeberrimi Cornelii Martini, qvi Anal. log. c. 8. ita scribit: *Neque tot tamque præstantium virorum, inter quos sunt doctissimi Philosophi, Juris - Consulti, Medici, etiam Theologi, nec non viri principes, qvi libris editis sanctè affirmant, se oculis suis vidisse, & manibus non tantum palpasse, sed & confecisse transmutationem unius metalli in aliud, ego fidem derogare debeo, mibi enim hoc impudentis esse videtur, non Philosophi & studiosi.* Interim videatur Martin. del-Rio disqvisit. magic. lib. i. cap. 5. qvæst. i. sect. 2. & seqq.

Artem autem *χειροποίησιν* sive metalla transmutandi veteribus Ægyptiis (de qvorum eruditione, qvanta & qvalis fuerit, videri potest Summus Vir Hermannus Conringius disserit. i. de antiquit. Academ. & libro de Hermet. medic.) cognitam fuisse, argumento sunt, qvæ habet Svidas in Diocletiano, ubi memorat, qvod Imperator Diocletianus, ob excitatum tumultum, non solum multorum illustrium virorum nece iracundiam suam expleverit, sed & veterum de argenti & auri fusione scripta undique conquiri, & flammis tradi jussit, ne ex illa arte ditati Ægyptii novis iterum rebus stuperent. Veteres etiam hanc artem in votis habuisse testatur Themistius Orat. 4. ad Valentem Imperat. *Tὰ χαλκὸν μὴ, inquiens, εἰς δέγυερον μεταβαλεῖν, οὐδὲ τὸ δέγυερον εἰς χρυσόν, εἰσμένως ἀν λύτρα ἐξ Λεγίμην τέχνην.* *Æs in argentum mutandi, & argentum in aurum, libenter aliquam sane inveniremus artem.* Secutis temporibus scripto eam complexus est Zoymus græcus, cuius de arte sacra & Chrylopœia libri manuscripti, unum cum Nicephori Bleitmidæ ejusdem argumenti libro extare dicuntur in Bibliotheca Galliae Regis Fontisbelaqvei, (Fontainebleau.) Seculo.